BVCCINA Capelli qua Legum *virtutes ac* laudes in Iuuenum *splendidissimorũ aures* suauiter & iucunde intonantur.

Miscentur naturæ Leges *cum virtutibus Legum.*

Adiiciuntur etiam Preces quædam electæ & salubérrimæ, ad Patrem, ad Filium, ad Spiritum sanctum, & ad individuam Trinitatem.

Impressum Londinii, typis Richardi Iohnes. 1599.

R B

IVVENIBVS SPLENdidissimis, alijsque omnibus *honorifico legum studio deditis salutem & fœlicitatem.*

CREDO equidem vos vehementer admirari (ornatissimi iuuenes) quid sit quod ego cuius studia triginta iam propè annos in medicinæ indagandis misterijs defigebantur tota, singulares Iuris virtutes, & ineffabiles Legum laudes oratione vlla percurrere, aut quouis modo enarrare, aut omnino literis depingere ausus sim. Cum autem mihi in mentem tanquã per somnia sæpiùs quam suauissimè occurrerunt, atque ædes quædam idoneæ propè clarissima Legum collegia nuperimè mihi fœliciter cõtigerunt

tigerunt; non potui certe non ingenij mei vires quæcunque sint (ah fateor quã imbecilles & exiguæ sunt) contrahere ac intendere, vt me quàm plurimis Legum cultoribus idque studiosis, quos mihi semper benignos & humanissimos habui, non ingratum præberem, & vt aliquid quod animos vestros iuueniles & teneros post hasce sacrias natalitias heroicis exercitijs vestris valde laudabiliter celebratas, ad Legum illustrissimarũ studia aliquantulum excitaret, atque voluptate aliqua perfunderet, in lucem ederem. Cum autem nihil vel studijs vestris iucundius, vel vobis vtilius, vel parentibus et amicis gratius exili & tenui hac Buccinella nostra per me accidere potuisse existimaui: Vos omnes pe-

to

to & ardenter peto, vt hæsce meos labores (sint quãuis pene pueriles) accipiatis humaniter, perlegatis diligenter, atque aduersus omnes sycophantas defendatis fortiter. Valete.

Vobis omnibus pro virili amiciſſimus. *B. C.*

UMI

BVCCINA
in Laudem Iuris.

* * *

ET SI plura sint erga nos omnipotẽtis Dei ineffabilis gratiæ & fauoris testimonia, quàm vel hominum animis concipi, vel linguis effutiri, vel calamis (quamuis celerimis) depingi, vel vllo modò in publicum proferri possint: tamen in nulla re bonitas sua eluceſcit magis, quam quòd in omnibus operibus suis, Iuris laudes & Legum virtutes imò ab ipsis mundi incunabulis omni posteritati reliquit. Quemadmodum ergo non se voluit Alexander ab aliquo fingi nisi a Ly-

ſippo, nec ab aliquo pingi niſi ab Appelle: ſic ineffabiles iurislaudes atque ſingulares legum virtutes, non vulgarem aut plebeium aliquem, ſed perfectum artificem requirunt.

A qua perfectione cum longiſſime abſim, pudor certè quidam pene ſubruſticus animum meum a ſcribendo ita deterruit, vt vix vlterius pergere auſus ſim. Haud enim ſcio an quicquam ſit iure elegantius, an quicquam iure antiquius, an quicquam Iure venuſtius, an quicquam in tota mundi machina, quod ſit iure ipſo Deo gratius. namq; Deus ille rerũ omnium architectus, cuius diuina poteſtas cum in omnibus, tũ vel maximè in æquo & bono, hoc eſt Iure, eluceſcit;

ceſcit; Poſtquam terram ab aëre, aquam ab igne,& ſingula elementa a ſingulis ſeperatim ſegregaſſet, atque omnia in ſymmetriã ac ordinem reduxiſſet, cum mundus in ipſis iam eſſet incunabulis, hominem non ſolum ex corpore conſtructum vt bruta, ſed ex corpore & anima efformatũ configuratum ac coagmentatum finxit, vt aliqua videatur cum cæleſtibus affinitate contineri, atque aliquo cum diuorum cætu propinquitatis vinculo conglutinari. Et quoniam æquitas & bonitas, id eſt Ius, cæteris omnibus rebus, vel infra in terris, vel ſupra in cœlis, quas ille rerum omniũ opifex fabricatus fuerat, longè præſtabat; inſculpſit humano

generi quoſdam æqui & boni igniculos, quos non ſopiret negligentia, neque ſepeliret torpore, neque extingueret ſtultitia, ſed vt diligentia accenderet, labore exuſcitet, atquè ſapientia excitet, indè vt erumpant quædam flammæ æqui & boni, id eſt Iuris: Sic vt in naturæ occultis & ſecretis indagãdis & exquirendis, vel prorſùs cæcutienti, facilè eſt videre & cernere, Iuris facultatẽ non ab homine proſeminatã eſſe, ſed ab ipſo Deo ſumpſiſſe originem, neq; longa conſuetudine acquiſitam, ſed eius vſum nobis cum ipſis mundi rudimentis fuiſſe exhibitum; non latum humanitùs, ſed prolatum diuinitùs. Ipſa luce ergo clarius in omnium

oculis

oculis defigere liceat, hanc vnam Iuris facultatem cæteris omnibus antecellere plurimũ. Aliæ enim artes diu latebant inuolutæ ac implicatæ tenebris, donec humana ſagacitas earũ vtilitates in penitiſſimis rerũ receſſibus & viſceribus perreconditas ac obſtruſas eruiſſet, aut temporis longinquitas earum facultates & cõmoditates aperuiſſet, aut cõſuetudo eas enucleaſſet ac demonſtraſſet, aut aliqua alia ratione prudentia hominum odoratæ atque inuentę eſſent, quaſi reliquæ artes poſſint ſine aliquo detrimento in ipſis naturæ ac rerum viſceribus incluſæ ac inuolutæ delitescere.

Hæc vna Iuris ſcientia niſi cognita & enucleata etiam in ipſis

ipsis mundi incunabulis nullam posse iniri societatẽ, nullam conglutinari affinitatem, nullam conflari amicitiam, nullam conseruari hominum multitudinem; sed totam hãc mundi machinã sine eius cognitione iam iam ruituram. Dialectica igitur quam solertia humana inuestigauit Aristotelem suum patrẽ ostentet. Rhetorica, quam longa ætas non mediocri vsu confirmata poliuit, Ciceronem aut Græcum aliquem à quo profluxerat sibi vendicet. Astronomia quam consuetudo longo tempore inveterata expressit, Phœbum aliquem a quo emanauit ostendat. Grãmatica, quam longus vsus maxima cum industria indagauit, Priscianum

ſcianum ſuum authorem ſibi expoſtulet. Cæterę artes quas longo poſt homines natos interiecto ſpatio erutas humana ſagacitas in præcepta incluſit, homines, a quibus deriuatæ ſunt, glorientur & iactent. Nos autem noſtrã iuris ſcientiam ad Deum & authorem & auctorem etiam in ipſis mundi principibus reuocemus: vt cum illi in magna ponunt laude quòd ſuæ ſcientiæ proficiſcebantur ab hominibus; quid ni nos in maxima ponamus, quòd noſtra effluxit & emanauit à Deo? Et cùm illi magna perfundantur voluptate cũ cogitent artes ſuas ad homines ſapientiſſimos tãquam origines reuocari; Quid ni nos toti liqueſcamus voluptate, cũ

cogite-

cogitemus noſtram Iuris ſcientiam referri ad Deum tanquam fontem. Et cúm illi in alta ſe conſtitutos fœlicitatis ſede arbitrentur, quod eorum ſcientiæ antiquitatis laude florerent, & interim inter earum cognitionẽ & hanc fabricatã machinam multa ſecula interfluxerunt, quid ni ipſi nos in ipſo iam cœlo collocatos arbitremur, quod noſtra Iuris ars maiori vetuſtatis nomine ſit illuſtrata, & eius lux etiam cum luce qua Deús colluſtrauit totum mundum initiũ ceperat? Et cùm ipſi lætentur quód ijs ornãtur artibus quas multa ætas perfecit & ne perfecit quidem: quid ni ipſi triumphemus, nos ea arte ornari, quam prima ætas effecit

& nulla ætas conficiet? Nec quicquam certè Iuris scientiã laude possit efferre maiori quam eius perpetuitas. Nam ijsdem quibus ingens hæc mundi machina concluditur & circumscribitur terminis, definitur & ipsa; ex qua tantæ vtilitates humano generi emanant, tantaque in copulãda hominum societate apparebat necessitas, vt Deus quadam lege nunquam violanda sanxerit, sed fore priùs vt resideant montes, & flumina exaresçant, quàm vt Iuris vis & potestas conuulsa ruat aut labefactetur. Quid? an non in hoc Iuris laus summa enitescit, quod Deus cum quandã huius mundi constituendi effigiem animo effinxisset, in om-

omnibus operibus ſuis quandam bonitatem & æquitatem voluit elucere. Quid? an non in hoc quod aër auibus, mare piſcibus, quadrupedibus terra, ac cæteris animantibus cęterę & certę ſedes præfiniantur, diuina quædam æquitas & bonitas videtur eminere? Quid? an non in hoc, quòd ſingula elementa à ſingulis ſeperatim ſegregentur, interim tamen & nulla conſequatur confuſio, diuinam quandam bonitatem & æquitatẽ præ ſe ferat? Quid? an non in hoc, quòd terra gramine, arbor frondibus, ſuperna ſtellis, infima ſuis, media ſuis, vniuerſæ res ſuis & illuſtriſſimis donis decorentur, diuinam quandam bonitatem & æquitatem in oculis omnium

um defigit? Vt interim autem fileam calamumque agreſtem pauliſper cohibeam, quo modo Leones, Vrſi, ac Tauri virium facultate, Lepores Cerui & Equi pedum velocitate, agni comitate, Lupus odoratu, Vulpes aſtu, aper auditu, Lynx viſu, Simia guſtu, Aranea tactu, omnes beſtiæ non omnibus dotibus, ſed ſingulæ ſingulis inſigniter [illegible] cõſpicue. Quæ omnia ipſa luce clarius demonſtrant, Deũ velle quãdam bonitatis & æquitatis ſuę effigiem in omnibus & ſingulis operibus ſuis effulgere & eniteſcere.

Sed nolo omnia oratione proſequi. Illud ergo ſilentio præteream, quo modo Leoni Vrſus, Cani Ceruus, Lupo Agnus,

Agnus, multæ beſtiæ multis, vniuerſæ homini diuina bonitate ſuccumbant. Nunc igitur cum̃ conſtet Deum in fabricando hoc mundo æquitatem & bonitatem ob oculos propoſuiſſe, non hunc mundũ potuiſſe perfici & iam iam ſine æquo & bono id eſt Iure debere vnquam̃ confici: Quis eſt ergo tam̃ ab omni æquitate auerſus, vel à bonitate alienus, qui Iuris aut nomen non veneretur idque cum honore, aut maieſtatem̃ non colat idquè cum reuerentia, aut ſplẽdorem non admiretur idquè cum ſtupore, aut antiquitatẽ non illuſtret idquè inſignitèr, aut perfectionem non laudet idquè vehementèr, aut eius ſtudium non perſequatur idquè diligen-

diligenter? At si quisquam sit forte inuentus tam ab omni ratione auersus, vel credulitati contrarius, qui hisce luce clarioribus argumentis non possit induci, vt ad Iuris laudē & amorem exardescat; recordetur recordetur, Ius maximā cum ipsa Natura habere affinitatem. Quę omniū rerum Mater ita constituit & sanxit, vt quo res quæque accedat propius ad eius similitudinē, eo eandem videri illustriorem insigniorem & ampliorem: Quod qui recolat mente, necesse est vt is colat vehementer Iuris scientiam, quæ est Naturæ effigies, vt Demosthenes, humanitatis initium, vt Isocrates, libertatis fundamentū, vt Anaxagoras, rectè viuendi

viuendi norma vt Diodorus, æqui boniq; ars vt Vlpianus. At qui hac æquitatis & bonitatis laude efflorescunt & excellunt, quid illustre consequentur? quid, quod eorum vel nomẽ vel famam illustret, adipiscentur? an diuitiæ quibus egenos fulciant, amicos subleuent, patriam vel labentẽ sustineant vel præcipitatam erigant, vel florentem augeant? hæc est egregia laus, sed Iuris minima laus. An honores, quibus illustrati familiam suam obscurã illustrent, nouam exorment, insignem decorent? hoc est illustre præmium, sed Iuris non maximũ præmium. An facultatem qua inquinatam improborum vitam retundant & comprimãt,

&

& optimorum optimé tradu-ctam vitã muneribus & mercede digna & laudabili ornẽt & illuſtrent? hoc eſt inſigne ornamentum, ſed Iuris non præcipuum ornamentũ. Quid ergo eſt aliud quod homines Iuris peritos illuſtret? hoc hoc (nolo animos veſtros diutiùs ſuſpenſos & dubios tenere) vt maiores dicantur: quo quid ornatius? vt oppreſſorũ patroni & veri, pupillorum Iudices & incorrupti, viduarũ defenſores & ſinceri, virginũ & Infantulorũ omniũ patres, & fideliſſimi ac chari appellẽtur: quo quid inſignius! vt inter obſcuros dicãtur clari, inter ignobiles honorati, inter viros heroes, inter heroes dij quidẽ videantur & habeantur, in terris:

quo

quo quid ſplendidius, quid quæſo illuſtrius? Nam cùm litigantium cauſas decidant, cùm diſſidiorũ flammas extinguant, cùm homines in vitiorum omnium ſordibus tãquam lutulentos ſues volutatos & contaminatos comprimant, cùm ſtudioſos virtutiſq; deſiderio inflãmatos premijs afficiant, quid aliud quã Deo gratiſſimam æquitatis & iuſticiæ hoſtiam exhibent? Cũ verò conſultoribus ſeſe non aſperos vt deterreãt, ſed lenes vt alliceant præbere ſoliti ſũt, cùm legum nodos obſcuriores & intricatos enucleent & enodent, cùm quicquid in ijs aut difficultate obſtructum, aut tenebris implicatum eſſe videbitur, illud explicent, illud euo-

euoluant, illud expandant, vt in luce ac oculis omnium proponant: quid quæso hoc est aliud quã diuinos illos & abditos iuris & iniuriæ fontes & riuulos populo aperire & edocere? At perspicite nunc Legum sanctã authoritatem, perspicite earũ venerandam maiestatem. Nam vt illa Respub. est miranda quæ legum vinculis & catenis cõtinetur: Sic illa miseranda quæ legibus soluta & vacua reperitur. In quacunque enim Repub. legum authoritas viget, illa necesse est vt fluat & floreat fœlicitate. In qua autem Legum acies retusa hebescit, eadem necesse est vt iniqua libidine defluat atque moribus turpissimis affluat & corrumpatur

pat. Nam quid aliud vult ſibi legis nomen (vt vim ipſius nominis ad viuum reſecare poſſim) quàm hoc, vt velit quicquid ſit in ſolutū ligare, quicquid diſſolutum illud Legis ſeueritate deuincire: quicquid corruptum, quicquid inquinatum, illud reſecare vel reſarcire: reſecare ſeueritatis eſt, reſarcire verò humanitatis: reſecare eſt neceſſarium, cùm reſarcire non eſt vtile: neceſſarium non poteſt admitti cum ſeueritate, vbi vtilitas non poteſt omitti cum humanitate. Nam repellendi ſunt illi à gubernaculis Reipub. qui plebi ac populo inſeruiūt, & ſic humanitatis laudē aucupantur, cum Reipub. cuius conſtituendæ cauſa leges condebantur,

tur, & pietati, cuius retinendę gratia leges ſanciebantur, ſit præcipue inſeruiendum. Nec erit cur quiſquam dubitet legum ſeueritatem ideo fuiſſe inſculptam, vt ciuitates optimè inſtituantur, & virtutes eximiæ in iiſdem retineantur, ſi ſeueritatis originem pié & veré conſideret, quam certiſſimum eſt à corruptis & inquinatis moribus effluxiſſe & emanaſſe. Nam cum prima huius fundamenta iacerentur, pié, ſancté, & ſobrié, ſine inuidia & turpitudine viuebatur. Tum pietas vigebat, tũc florebat iuſtitia, tunc æquitas colebatur, tũ naturam ducem ſequebantur omnes, ad cuius ſimilitudinem & effigiẽ quia vitam ſuam & mores effinge-

bat & confirmabat prima ætas, traducebat vitam nulla aut libidinis macula fœdatã, aut audaciæ labe conſpurcatã, aut vitiorũ litura contaminatam. Quo tempore pietas ita efflоruit, ita iuſtitia eluxit, vt neque lex naturę ſincera eſſet ſublata, neque lex hominum ſeuera eſſet lata. Nam quorſum leges inciderentur, quorſum ſcriberentur, quorſum latę forẽt, vbi non emerſit audacia, nec euolauit nequitia? Nam quemadmodum corporibus non valentibus ſed valetudinarijs, non affectis bene ſed habitis malè, non ſanis ſed morbo confectis medicina inuenta fuit: Sic hominibus non virtutum laude inſignitis, non pietatis encomio illu-

illustratis, non probé & laudabiliter viuentibus, sed impié & turpiter vitam degentibus Lex cũ seueritate sua fuit cõstituta.

Verùm cúm emanasset audacia, cúm creuisset impetus, cum adoleuisset iniuria, cúm euolasset libido, cùm nequitia erupisset, & omnia vitia erepsissent in vitam & mores hominum; erant leges necessariò latę, vt quos virtutis & pietatis amor non potuit conprimere & in officio continere, eos confirmatę iam audacię viros legum authoritas repelleret & retũderet: ita vt leges audaciæ hominum tanquam frœna ferocienti & truculento equo iectæ sint, ita vt leges licentiæ hominũ, tan-

quam aggerès fluminibus extra ripas defluentibus obiectæ sint: quarum vi & authoritate factum est, vt audacia comprimeretur, vt omnes in ciuitate fluxi & soluti mores deuincérentur, & quicquid erat in Repub. putridum amputaretur. Hinc itaque Leges hominibus quandā bene viuendi normam præscripsisse, ac ciuitates non solum instituisse, sed optimè etiam ipsa luce clarius instituisse eluceſcit. Nam profectò hac opinione ratio animum meum imbuit, fieri non potuisse vt homines ex feritate et immanitate cōpositi, quibusque ipsa natura quādam gigantū ferocitatem insculpserat, errantes & dissipati per vastitatem agrorum vl-

la

la ratione traducerentur ad probitatem pietatem & humanitatem, niſi diuina prouidentia aliquis extitiſſet, qui eos cõgregatos orationis ſuauitate perfudiſſet, ac demulſiſſet, ijſque leges continentiæ, iuſtitiæ, temperantię, & virtutum omnium induxiſſet, quarum æquitate incitati & commoti qui prius vagabantur & errabant nullis certis domicilijs circũſcripti, nunc ſe quibuſdam locorum finibus & terminis continebant, atque ſeſe mœnibus & ſuos diligenter & prudenter ſepſerunt: hinc ciuitates conſtitutæ, hinc auctę, hinc conſeruatę ſunt, quæ profectò nulla ratione potuiſſent certis terminis concludi, neque concluſæ

retineri, neq; retentæ conſeruari, neque cõſeruatæ augeri, niſi præclara Legum authoritas adfuiſſet. Quod quidem manifeſtius patebit & eniteſcet ex Romuli exemplo (ſi quid vel lucis vel probationis noſtrę cauſę afferat Liuius) qui ſcribit Romulum ab ipſo ſtatim vrbis primordio rebus diuinis rectè perpetratis homines congregaſſe, ijſdēque oratione delinitis Iura dediſſe, quia hæc fuit illi firmiter inſculpta opinio, multitudinē nulla ratione velle in vnius populi corpus coaleſcere ſine legibus.

Ciceroni ideo (etiamſi moleſté fero hominē diſertiſſimū a quoquā exagitari, ipſe verò ab hoc abhorreſco plurimū)

Cicer-

ceroni inquã macula & lis ei intendenda eſt, qui irruerat in Iuris-conſultorũ profeſſiones, qui Legum latoribus detraxerat ſua, vt Oratoribus adderet aliena.

Nam in quo libro finxit et formauit Oratorem omni laudis genere cumulatiſſimũ, quẽ neque ætas prima viderat neq; ſol videbit vnquã, nonne depinxit verius Iuris quam eloquentiæ, Legis quam orationis effigiẽ? nonne effinxit potiùs hominem conſilio pollentem, iuſtitia admirabilem, ſapientia inſignem, quam eloquentia candidatum, quam orationis ſplendore illuſtratũ? An verò illa quibus ornauit oratorem ſuum Cicero, ſupplicibus ferre opem, excitare afflictos

flictos, dare ſalutem & conſolationem, liberare periculis, retinere homines in ciuitatibus, Oratoris potius vidē-tur, quā Legū latoris. An iſta diſperſos homines vnum in locum congregare, ad humanitatem inſtituere, ad ciuilem viuendi modum deducere, potius conſecuti ſumus oratione perpolita, quam iuſtitia, æquitate, prudentia, & conſilio hominum, qui Leges condiderunt? An videtur hoc cū ratione conſpirare, Romulū multitudinem in concionem conuocaſſe eiſdemq; Iura dediſſe, potiús orationis ſuauitate, quam conſilij grauitate, & munere? An Numam ciuitatē illam oratione potius quam iuſtitia excoluiſſe? An

qui

qui consecuti sunt Reges, laudem auxisse potiùs eloquẽtia quam æquitate, oratione quã legibus? Verũ quoniã Cicero hoc vrget vehemẽter & instat acriter, demus aliquid ciceroni atq; aliquid humanitatis causa de nostro iure remittamus, quoniã Legũ latores clientũ suorũ causas solẽt eloquẽtissimé dicere, sit ergo hæc eloquẽtiæ aliqua laus, sed Legum sit præcipua laus, sit hæc orationis expolitæ minima laus, sit autem consilij, iustitiæ, & Legũ maxima laus. Nam profecto legimus aratores consilij munere & Legum candidarum peritia, non oratores orationis candore ciuitates instituisse, earumque gubernacula tenuisse. Ideoque illa prima

& ſincera ætas homines prudentia conſpicuos, non eloquentiæ laude illuſtres, a raſtris ad roſtra, ab aratri clauo ad Reipub. clauum arceſſebat. Hoc enim non authoritas ſolum perſuadet, ſed elicit veritas & ratio extorquet, Legũ virtute & moderatione non ſolum ciuitates earumque cõſeruationes, ſed & ſingulorũ & vniuerſæ Reipub. ſalutem & fœlicitatem maximam contineri. Quare Heraclitus ſapienter, (vt alia etiam plurima) ciues huic muneri tanquam Legi obſtringi & obligari debere dixit, vt pro Legum cõſeruatione arma & ſaga conſilia non minori contentione ſuſcipiant, quam pro liberis, aris, focis, Penatibus, Theſauris

sauris optimis, ipsisque ciuitatum mœnibus. Quã quidem sententiam non ex humano iugenio promptam, sed diuino aliquo numine fusam arbitror, vt intelligamus sine mœnibus posse ciuitates omni fœlicitate florere; sine Legibus autem earum neruos labefactari & prorsus conuelli. Eisdem diuinę lucis radijs illustratus Solon (quem propter Leges sapienter conditas vniuersus terrarum orbis prædicat sapientissimum) sapientissimè vt omnia, cuidam percontanti, quomodo Respub. posset florere & statu fœlicissimo permanere semper, respõdit, si illi quos fortuna ad infimam plebis sortem depresserat, penderent à præscripto ma-

magiſtratuum, & quos fortuna ad altiorem dignitatis gradum euexerat, penderent à præſcripto Legum.

Et quamùis Iuris laudes breuitate etiam minima enarrare ſtudeo, nec ero multus, ne delicatas aures & ſuaues veſtras linguas orationis meę tenuitate radere ac obtundere videar: tamen, non poſſũ, certè non poſſum Biantis opinionem ſapientiſſimam ſilentio præterire, qui cùm ſediſſet ad gubernacula Reipub. & hominem quendam ad laqueum condemnaſſet, eiuſdem mortẽ lachrimis proſequebatur & lugebat; quod cùm quidam intellexiſſet, ſapientiſſimo viro turpiſſimam Iuſtitiæ labem inuſſerat, quod eius mortẽ lu-

ge-

geret,cuius vitam conſeruare potuiſſet: Bias reſpondebat, neſcio an dolentiús vt miſerecors homo, aut ſapientiùs vt inſignis Philoſophus,Nó poſſum non hominem homo,fragilem fragilis lugere;eam mihi miſericordiam Natura inſeruit:& non poſſũ pati legis aciẽ vlla ex parte conuelli & cõminui;ſic enim me ad æquitatem doctrina erudiuit. Sentit Philoſophus vbi legum repagula ac virtutes perrumpantur, ibi Rempub. labeſcere & ruinę cedere . Quod vero quidem Lacædemoniorũ exemplo manifeſtè declaratur & apud omnes in publicum ponitur, qui cum Licurgi Leges violaſſent & minuiſſent,Reſp. quæ priùs vigebat vna cũ Li-

cur-

curgi Legibus cõuulsa ad extremam inopiam & calamitatem deducta erat, atque prorsus subuersa ruebat. Vidistis iã Legum splendorem, quantum potuistis per orationis aut Buccinę meæ tenuitatẽ; cognouistis Legum ornamentũ, quantum potuistis per ingenij mei hebitudinem; concepistis Legum maiestatẽ quantum potuistis per horum folliolorũ paucitatem: quod vidistis suspicite, Legum intelligo splendorem, quod cognouistis admiramini, Legum dico ornamentum, quod concepistis colite, Legum designo maiestatem: suspicere humanitatis vestræ erit, quia inde fit vt non obscuretur, admirari pietatis, quia inde fit vt nõ

contemnatur; colere virtutis, quia inde fit vt Legum vigeat authoritas & Reipub. conseruetur salus, quę certè nulla foret, nisi Legum contineretur vinculis. Nam tanta est hominibus innata peruersitas, tanta impietas, tanta immanitas, tanta ferocitas, tanta in vicinos, in proximos, imò in omnes seueritas, tanta crudelitas & rapacitas, vt hominum feritate plusquam Gigantea immanium importunitas perrumperet in omnium necem, & vbique euolaret audacia, mortem & cruciatum omnibus omni in loco anhelans, glisceret in castris furor, in curia versaretur timor, in foro coniuratio appareret, in campis arma creparent, omni profecto

fecto in ſede immanitatem, peruerſitatem, impietatem, ferocitatem, ſeueritatem, crudelitatem, & rapacitatem, imo gladium ac mortē à ſeruis in dominos, à filijs in patres, à fratribus in fratres, imo à ſubditis in Reges & ab infimis in ſummos indies proſpiceremus niſi inquam Leges ab ipſo Deo, qui viget, qui omnia ſentit, qui meminit, qui præuidet, qui regit, & moderatur, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, qui rerum viciſcitudines ordineſque conſeruat, terras & maria contemplans hominum cōmodum vitaſque tuetur, in ipſis mundi principijs diuinitus emanaſſent. O admirāda opera dej, qui ſine ordine

dine id est lege, nulla cõstituit, nulla in rerum natura aut florere aut permanere voluit! Quare cum Iuris necessitas ita etiam dèluceſcat vt ſit plũbeus qui clariora deſiderat & requirit, tanquàm Theſei filo ductus quæ in Iudicijs ſunt agitanda & ſuſcipienda breuiter tanquam canis ad Nilum attingam ac percurram.

Sine quibus neſcio profectò an æquitas, an Leges aliquem afferant fructum humano generi: nam ſi æquitas lateret in tenebris, ſi Leges parietibus & ſpeluncis continerentur, ſi deniq; Iura, virtutes, & facultates ſuas non enarrarẽt & exercerent factis, perinde certè forent, ac ſi non conderentur, cum nihil aliud ſint quã mutæ,

tæ, ſi mutę non neceſſariæ, ſi non neceſſariæ inutiles, ſi inutiles euellẽdę, ſi euulſæ fuerint quę forma, quę facies, quæ effigies, quod veſtigiũ Rei? Igitur ille rerum omnium opifex conſtituit quoſdã qui iudicia exercerent, qui Leges enuclearent, qui iuſtitiam in luce & Theatro ponerent. A Iudicijs ergo exercendis dicuntur Iudices, a Legibus explicandis Leges loquentes, quos oportet omni virtutis genere ſic eſſe adornatos, eorumque animos ſic decet ab omni iniuſtitia abhorrere, vt leges ferre ad communem vtilitatẽ poſſint, & velint. Et quicunque ſunt in Repu. laxi & diſſoluti eos reſtringant, quicunq; inquinati vitijs, eos extinguant, quicunq;

a

à pietatis officio declinantes, eos reprimant, quicunque virtuti bellũ indixisse videantur, eos opprimant, eos puniant, eos arctissimis Legum vinculis studiosissimè deuinciãt. Neque verò illis qui clauem Reipub. tenent intendenda solum est acies in hoc, vt homines omni vitiorũ labe contaminatos & infectos reprimant, atque eos tanquam omni hominum genere infectos repellãt ab omni authoritate Reipub. eosque rescindant tãquam vlcera, ne alios ijsdem vitijs corrumpant & inquinent, sed hæc etiam studeant atque summa pietate curent, vt homines probos, sinceros, ac iustitiæ probitatisque laude commendatos, præmijs, dignitate, atque

que authoritate afficiant: illud ad terrorem malorum, hoc ad ſpem & conſolationem bonorū: ad terrorem malorum crudeliter et auſterè, ad ſolatium bonorum humaniter etiucunde: bonos vt alliciant prę-mijs ad pias actiones, malos vt deterreant pœnis ab improbitate & nequitia. Haud ſcio igitur an quicquã dici poteſt in Iure vtilius, quam hæc iudiciorum pars, quæ ideo dicitur Sanctio quia homines in officio ſanctè contineat, & Legũ ſanctarum ac virtutes ac vires per omnes Reipub. partes fines & terminos diffundat. Viuant ergo, imo fœliciſſimé viuant Legum Iudices: vigeant etiam ac ſplendiſſimé floreant ſtudioſi Iuris cultores:

res; diutiſſimè viuant Iudices, vt turpes & iniquos reprimant, atque floreant literiſque incumbant iuuenes vt fiant Iudices.

FINIS.

O



e

et

ma

ror

na

nin

cau

die

no

In

cit

m

UMI

Orationes quædam electæ & saluberimæ ad Patrem, ad Filium, ad Spiritum Sanctum, & Trinitatem indiuiduam.

* *
*

O Sempiterne Deus ô pater omnipotens, quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lachrimarũ vt satis abunde & mœrore congruo animæ meę dãna deplorare possim? Adest enim manifesta & maxima causa mæstitiæ, cum antiquos dies cogito, ac iuueniles annos mentis considero intuitu: In hac meditatione mea defecit spiritus meus.

Scio enim qualis fuerim, imo qualis fuisse non debere, cog-

noſco qualis ſum, timeo qualis futurus ſim,& magis timeo quo minus doleo, vtinam magis dolerem vt minus timerem.

Sed hei mihi,Domine, quia iamdiu percutis & adhuc non doleo, iamdiu vocas & adhuc non audio, iamdiu pulſas, & cordis mei peſſulum nõdum aperio: circundant me dolores mortis, & cum multis replear doloribus exteriùs, nullum prorſus qui ad ſalutẽ operetur dolorem ſentio interiús. Nec ſolos ſenectutis dolores experior, ſed vir dolorum ego ſũ à iuuentute mea, cunctique dies mei laboribus & ærũnis pleni ſunt, & tamen doleo quia ſẽper dolens dolere neſcio. Oſtupendã & ineffabilem

effabilem cœleſtis medici ſapientiam! O immenſã ſummj Regis bonitatem! O ſingulare omnium bonorum largitoris beneficium? Das enim mihi Domine dolores ne pereã iocunditatibus, & vt diſcam ſine offenſione iocundari: das dolores temporales, ne patiar æternos. Affligis corpus, vt ſalues animam, flagellas vt ſanes, occidis vt viuifices. Sed proh dolor, medicinã ex occulta manu miſericordiæ tuæ inuitus ſuſcipio, & antidotũ ſalubrium dolorũ, quibus miſericorditer in me ſæuis, rudis non agnoſco: & quomodo agnoſco, ſi inſtanter a te peto vt à me auferas dolores, qui tamen ſine doloribus ſanari non poſſum? Quomodo enim

niſi per dolores ſanabitur, qui per delectationes infirmatur.

Fac ergo Domine vt doleam, & doce me ſalutarem dolorem, quo triſtitia mea vertatur in gaudium, & exultem in ſalutari tuo, dicens, gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat &c.

Alia è diuo Auguſtino.

INuoco te, Deus meus, inuoco te qui prope es omnibus inuocantibus te in veritate. Tu enim veritas es, doce me quęſo per clementiã tuã, ſancta veritas, te inuocare in te, quia hoc fieri quomodo oporteat neſcio; ſed a te doceri beata veritas humiliter imploro.

ro. Abs te enim ſapere, eſt deſipere & te vero noſcere eſt perfectè ſcire. Erudi me, diuina ſapientia, & doce me Legem tuam: credo nãque quẽ tu erudieris beatus erit, & delege tua docueris eum: deſidero inuocare te, quod quæſo fiat in veritate: quid eſt in veritate inuocare veritatẽ, niſi in Filio patrem?

Ergo ſancte Pater ſermo tuus veritas eſt, principiumque verborũ tuorũ veritas.

Hoc quipqe eſt verborũ tuorũ principium, quod In principio erat verbũ. In ipſo principio te ſũmum adoro principium. In ipſo veritatis verbo, te perfecta inuoco veritas, in quo ipſa eadẽ veritas dirigas me in veritatẽ & doceas. Quid

est dulcius quàm genitorẽ in nomine vnigeniti inuocare, Patrem in recordatione filij ad pietatem inflectere, Regem chariſſimæ ſobolis denominatione miſtigare: ſic enim ſolent rei carceribus eripi, ſic commancipati vinculis liberari, ſic triſtem accipientes ſententiã capitis non ſolum abſolui ſed inſuper naucifci inſolitã gratiã, dũmodo iratis principibus dilectæ prolis intimauerint charitatem. Sic delinquentes ſeruuli euadunt ſupplicia dominorũ dum pro eis interuenit dulcedo filiorũ. Sic te omnipotens pater per omnipotentis filij charitatem poſtulo, educ de carcere ad confitendum nomini tuo animam meã, libera me a vinculis

lis peccatorũ per coæternum flagito vnicũ tibi natum, meq; cui propria merita læthalem minantur ſententiã, prætioſiſſimę ad dextram tuã conſedentis prolis interpellatione reſtaura placatus ad vitã. Quẽ enim alium dirigam interceſſorem tibi neſcio, niſi hunc qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, qui ſedet ad dextram tuam interpellans pro nobis. Ecce Aduocatus meus apud te Deũ patrem, ecce pontifex ſummus qui non alieno eget expiari ſanguine, qui proprio refulget perfuſus cruore. Ecce hoſtia ſancta beneplacens & perfecta in odorẽ ſuauitatis oblata & accepta.

Ecce agnus ſine macula qui coram ſe tondentibus obmu-

uit,qui alapis cæſus,ſputis illitus, opprobrijs affectus,os ſuum non aperuit. En,qui peccatū non fecit peccata noſtra pertulit,& languores noſtros ſuo liuore ſanauit.Per hunc ſūmum mediatorem Pontificem & Saluatorem exaudi me clementiſſime Pater,cum quo tibi ſimulque Spiritu ſancto ſit honor,laus,& gloria,in omnia ſecula, Amen.

Alia

DOmine ſancte Pater omnipotens Deus,qui coæqualem conſubſtantialem & coæternum tibi ante ſecula filium ineffabiliter genuiſti, cum quo atq; cum Spiritu ſancto ex te eodemq; filio procedente

dente cœlum terr̃ atq; omnia quæcunq; exiſtunt viſibilia & inuiſibiliã mirabiliter creaſti; tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teq; magnifico. Eſto quæſo propitius mihi miſerrimo peccatori, & ne deſpicias me, ſed defende, protege, & guberna creaturã tuã quã de morte æterna pretioſo ſãguine Filij tui vnigeniti liberaſti, vt ſeruatus laudem te, benedicam ac glorificẽ nomen ſanctum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſeculũ ſeculi, Amen.

Oratio ſaluberrima ſurrecturus dicenda.

OMnes gratias quas poſſũ tibi ſẽpiterne Deus reddo, quòd hãc noctẽ mihi pro-

ſperam fuiſſe paſſus es: ab intimis etiam te humliiter oro, vt hunc ipſum diem mihi beatum & fęlicem facias, & propter diuinam gloriam tuam & animæ meę ſalutem.

Tu qui es ipſa vera Lux, nec aliquem cognoſcens occaſū, qui es æternus ſol vitā, lætitiā, & conſolationem cunctis tribuens, infundas precor in me gratiā tuā, ſapientiam, charitatem, caſtitatē, atq; humilitatē, vt ante diē exitus mei per veram pœnitentiam tibi placere merear per dominum noſtrū Iheſū Chriſtū filium tuum vnigenitū qui tecū viuit & regnat in vnitate cum Spiritu ſancto Deo, Amen.

Oratio ad Filium iturus cubitum dicenda.

O

O Suauiſſime Iheſu Chriſte, an vel ſomno vel vigilię memet cõmittã, an vel hac luce fruar vel in funus prodeã totus tuus ſum: quare ab imo corde te ſuppliciter oro qui es agnus Dei & tollis peccata mundi, vt tollas etiã omnia peccata mea, ita infũdas quoque in me cœleſtẽ diuinę gratiæ tuę rorẽ vt in omnibus cogitationibus & actionibus meis tibi ſemper inſeruiam per eundẽ Dominum noſtrum &c. Amen.

Alia ad Filium.

PRo me natus eras crucifixus morte ſepultus
Chriſte, reſurgebas, ſpes mea vita ſalus.
Nocte dieque tuũ miſerũ me protege ſeruũ.
Sum tuus, eſto meus, Chriſte tuere tuum.
Chriſte tuere tuum, ſine te ſpes nulla ſalutis,
Vana ſalus hominũ, Chriſte tuere tuum.
Amen.

O Domine Iheſu Chriſte fili Dei viui, qui es verus & omnipotens Deus ſaluator & Imago Patris atq; vita æterna, cui eſt vna cum ęter. no Patre & Spiritu ſancto æqualis honor, cœterna maieſtas, vna ſubſtantia, tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teq; glorifico: ne me quęſo perire patiaris ſed ſalua & adiuua me gratuito munere tuo quē dignatus es redime re prętioſo ſanguine tuo, qui cum eodē Patre in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti viuis & regnas inſeculaſeculorū. Amē.

Bernardus ad Filium.

O Bone Iheſu, ô dulcis Iheſu, ô Iheſu fili Marię virginis, plenus miſericordia & veritate, ô ſuauiſſime Iheſu

vc-

miſerere mei ſecundū magnā miſericordiā tuam:ô benigne Iheſu te deprecor per illum ſanguinē tuum prętioſum quē pro nobis miſeris peccatoribus : effundere dignatus es in aracrucis,vt abijcias omnes iniquitates meas, & ne deſpicias humiliter te petentē & hoc nomē tuum ſanctiſſimū Iheſus inuocātē.Hoc nomēIheſus nomēdulce eſt.Quid enim eſt Iheſus niſi ſaluator?O bone Iheſu qui me creaſti & redemiſti tuo proprio ſanguine ,ne permittas me damnari quem ex nihilo creaſti:o bone Iheſu ne perdat me iniquitas mea quem fecit omnipotens bonitas tua :o bone Iheſū recognoſce quod tuū eſt in me,& abſterge quod alienum eſt a me : o bone Iheſu.

ſu miſerere mej, dum tempus eſt miſerendi: ne perdas me in tempore tui tremendi judicij: o bone Iheſu, ſi merui miſer peccator de vera tua juſtitia pænam æternam pro peccatis meis grauiſſimis, adhuc appello de tua juſtitia vera ad tuam miſericordiam ineffabilem. Itaque miſereberis mej vt pius pater et miſericors dominus. ô bone Iheſu, quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionẽ æternam? Non enim mortui te laudabunt domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum: ô miſericordiſſime Iheſu miſerere mei, ô dulciſſime Iheſu libera me, ô Iheſu fons omnis pietatis propitius eſto mihi peccatori: ô Iheſu ad mitte me mi-

miſerum peccatorem in numerum electorum tuorum :ô Iheſu ſalus in te ſperantium,ô Iheſu ſalus in te credentium, miſerere mei , ô Iheſu dulcis miſſio omnium peccatorum meorum, o Iheſu fili Mariæ virginis infunde in me gratiã tuã ,ſapientiam,charitatẽ, caſtitatem,& humilitatem, ac in omnibus aduerſis meis patientiã ſanctam , vt poſſim te perferre,diligere,& in te gloriari ac delectari in ſecula ſeculorum: Amen.

Oratio ad Spiritum ſanctum.

Concede quæſo omnipotens Deus vt qui ſolennitatem doni Spiritus ſancti colimus , cœleſti deſiderio accẽſi

ſi, fontem vitæ ęternæ ſitiamus. Amen.

Alia.

Domine Spiritus Sancte Deus, qui coæqualis, cõſubſtantialis, et coęternus Patri Filioque exiſtens, ab eis ineffabiliter procedens, quiq; ſuper eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in columbæ ſpecie apparuiſti, et ſuper ſanctos Diſcipulos in linguis igneis deſcendiſti, tibi gratias ago, te adoro, te laudo, teque benedico & glorifico, repelle a me quæſo tenebras ignorantiæ & totius iniquitatis & perfidiæ, ac accende in me lumen miſericordiæ tuæ, & ignẽ ſanctiſſimi amoris tui, qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula, Amen.

Alia

Alia

PRæſta omnipotens ſempiterne Deus, oramus, vt claritatis tuæ ſuper nos ſplendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum qui per gratiam tuam renati ſunt ſancti Spiritus illuſtratione cõfirmet: Amen.

Oratio ad Trinitatem ſanctam.

OImmenſa veritas, o ſumma Trinitas, virtus vna & indiſcreta maieſtas, Deus noſter, Deus omnipotens, confiteor ego tibi vltimus ſeruorum tuorum & exiguum Eccleſiæ tuę membrum, confiteor tibi & honorifico te debito ſacrificio laudis, & quia exteriora

riora mihi munera deſunt quę poſſim offerre: ea quæ in me ſunt vota laudationis ex dono miſericordiæ tuæ ecce libens offero tibi de fide non ficta & cõſcientia pura. Credo igitur in te ex toto corde rex, cœli & terrę domine,& ore te confiteor Patrem & Filium & ſpiritum ſanctum in perſonis trinũ,& in ſubſtantia vnum verũ Deũ, omnipotentẽ,vnius ſimplicis & incorporeę inuiſibilis & incircumſcriptæ naturæ,in bonitate ſummum, in ſapientia ineſtimabilem, in conſilijs terribilem, in iudicijs iuſtum, in cogitationibus ſecretiſſimum, in verbis veracem,in operibus ſanctum & miſericordijs copioſum, erga delinquẽtes patientiſſimum, erga pœniten.

nitentes pijſſimum, ſemper eundem ipſum æternum, ac ſẽpiternum, immortalem, ac incommutabilem.

Te Deum patrem ingenitũ, atque vnigenitum Filium, te Spiritum ſanctum paracletũ, ſanctam & indiuiduam Trinitatẽ, toto corde & ore confitentes laudamus atque benedicimus, tibi gratias agimus in ſecula ſeculorũ, Amen.

Alia

TE inuoco, o beata Trinitas, vt venias ad me & Tẽplũ me facias dignũ gloria tua, dignũ regno tuo, dignũ diuinis beneficijs tuis: rogo Patrẽ per Filiũ, rogo Filium per Patrẽ, rogo Spiritum ſanctũ per Patrem

trem & Filium, vt omnia vitia elõgentur a me,& omnia ſanctà officia plantentur in me. Cuſtodi me ſanctiſſima Trinitas, opus manuum tuarum & in te ſperantem, & in tua ſolummodo miſericordia confidentem. Tu es Deus omnipotens & non eſt alius Deus prę-ter te,neque in cœlo ſurſum, neque in terris deorſum:te decet laus, te decet hymnus,tibi omnes Angeli & vniuerſæ Poteſtates hymnos dicunt & laudes indeſinenter cõcinunt, vtpote ceraturæ cræatori,domino ſerui,regi milites:te ſanctam & indiuiduam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis ſpiritus laudat, ac in omne æuum precor laudet & ſemper magnificet, Amen.

Alia

Alia e diuo Aguſtino.

TV es Deus omnipotens quem trinum perſonis, & vnum in ſubſtantia deitatis colimus & adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum ſanctum de vtroque procedentem & in vtroque permanentem, ſanctam & indiuiduam Trinitatem, vnum Deum omnipotentem; qui cum nos non eſſemus, potenter feciſti nos, & cum perditi fuiſſemus culpa noſtra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperaſti nos: ne ſinas nos eſſe ingratos obſcero tantis benificijs, & indignos tam multis miſerationibus: te deprecor, te ſupplico, teque

teque humiliter rogo, vt augeas fidem meam, vt augeas ſpem, vt augeas charitatem. Fac nos per ipſam gratiam tuam ſemper in fide ſtabiles, & in opere efficaces, vt per fidem rectam ad vitam (te miſerante) perueniamus æternam, vt ibi videntes gloriam tuam, ſic vti eſt, adoremus maieſtatem tuam, & dicamus pariter quos dignos feceris videre gloriam tuam, Gloria patri qui creauit nos, gloria Filio qui redemit nos, gloria ſpiritui ſancto qui iuſtificauit nos, gloria ſummæ & indiuiduæ Trinitati, cuius opera inſeperabilia ſunt, cuius imperium ſine fine manet; te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & cla-

claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.



UMI